Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1049
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

absonum. licet dicatur necessarium.
Si quis tamen querit. Cum deus que
fecit animam ex nichilo ipsam inmacu
latam. sciat eam ex corpore maculam peccati
contrahere. et quandoque ante baptismum separari mor
te ab illo corpore. et sic dampnari. quare
eam corpori coniungit. respondemus hoc
idem quod supra. scilicet occultam iusticiam dei esse.
Solent quidam sic opponere. Cum anima in
corpore creetur. nec prius est in corpore
quam illo peccato tenetur. igitur quam cito
est. maculam peccati habet. Itaque numquam
talis est qualis creatur a deo. Creatur
namque innocens a deo. sed numquam est inno
cens. cum sit maculata quam cito est. sed non
est aliud deus creat eam mundam. id est ex
creatione nullam habet maculam. et
ita talis est quantum ad creationem. qualem
creat eam deus. semper enim bona est et
munda. quantum ad creationem.
Preterea solet queri. si omnes anime ex cre
atione equales vel excellentiores sunt.
alie aliis. sicut et in angelis fuit. et videtur
pluribus quod ex ipsa creatione una sit habilior
ad intelligendum. ad memorie reti
nendum. quam alia. quod satis probabile est.
Opponitur quod si discedunt a corpore ante
baptismum. equalem habent penam. si statim post
baptismum equalem coronam. et ita videtur
quod in ipsa creatione indifferentes sint. sed
sicut nos iam diximus in tractatu libri arbitrii
ea que sunt ex prima creatione ut inge
nium memoria. nec plus nec minus
beatum constituunt vel pena dignum.
Postquam
de originali peccato diximus. ad
iciendum videtur de actualibus.
de quibus primum videndum est. quod non
imputentur posteris. iuxta illud ezechi
elis. Non ultra erit istud proverbium in israel.
patres manducaverunt uvam acerbam. et
dentes filiorum obstupescunt. anima que peccaverit. ipsa morietur.
filius non portabit iniquitatem patris. Ad hoc videtur
contrarium quod in exodo dicitur. Ego reddo iniqui
tatem patrum in filios in terciam et quartam ge
nerationem. hiis qui oderunt me. sed sicut
ieronimus dicit. hoc dictum est de filiis imitantibus
mala patrum. quod innuit per finem illius au
ctoritatis. hiis qui oderunt me. si enim filius
non imitatur peccata patris. non inde punietur.
Opponitur. Si de imitantibus illud intelli
gendum est. quare solummodo usque in terciam
et quartam dicit. Cum omnes qui imitantur
peccata parentum in quamlibet generatione
sint. illis teneantur. quod sic ita solvunt. Ideo
dictum est in terciam et quartam. quia usque
ad quartam magis solet hoc evenire. ut filii
imitentur facta parentum. cum adhuc eis
nota et velut presentia sint. Augustinus de tem
porali pena illud exponit. quia in ultione
parentum sepe puniuntur filii tempo
raliter pro peccatis parentum. ut ceci nas
cuntur. vel postea orbati fiunt vel claudi vel quavis
alia pena afficiuntur. sed in futuro sicut
apostolus ait. unusquisque onus suum porta
bit. Ieronimus super ezechielem dicit in nobis esse
quasi patrem suggestionem carnis. filium
primum impulsum cogitationis ad pec
candum. et hec est prima progenies. nepos. si de
creverit facere. vel opere compleverit. pronepos.
si non solum fecit quod malum est. sed et in suo
scelere glorietur. et hec est quarta generatio.